



GEORGII JACOBI GLADBACH
MEDICINAE DOCTORIS ET PRACTICI ORDINARIJ
FRANCOFURTENSIS

DISQUISITIO
DE
MEDICAMENTORUM ABSORBENTIIUM
IN
FEBRIBUS CONTINUIS ACUTIS
PRÆSTANTIA.



FRANCOFURTI AD MOENUM.
IN OFFICINA MOELLERIANA.
1 7 6 1.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

VERGLEICHENDE ANATOMIE DER HAARHAARE

VON DR. MED. DR. THEODOR MOHR

LEIPZIG

1881

VERLAG VON F. A. BROHME



V I R O
E X C E L L E N T I S S I M O
E X P E R I E N T I S S I M O
D O C T I S S I M O
C O R N E L I O G L A D B A C H
M E D I C I N Æ D O C T O R I C E L E B E R R I M O
C O L L E G I I P H Y S I C I S E N I O R I S P E C T A B I L I
M I L I T U M F R A N C O F U R T E N S I U M
O R P H A N O T R O P H E I Q U E M E D I C O
O R D I N A R I O
P A R E N T I
A E T E R N A P I E T A T E P R O S E Q U E N D O
H A N C C E D I S Q U I S I T I O N E M
C E U
G R A T A E M E N T I S T E S S E R A M A N I M I Q U E
D E V O T I S S I M I P I G N U S
S A C R A M E S S E V U L T
F I L I U S O B S E Q U I O S I S S I M U S .

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





I. N. I.



§. I.

In Febris continuis acutis semper acrimoniam alcalicam sive biliosam adesse, tam ex Pathologia, quam ex Praxi, luculenter constat.

§. II.

Acrimonia alcalica sive biliosa vero audit, si in massa sanguinea salia alcalica volatilia una cum partibus sulphureis emineant (per princ. pathol.)

§. III.

In statu sano salia alcalica adesse debent, (per princ. physiol.) sed prout acidum præternaturaliter eminere potest, &

* 3

alca-

alcali præternaturaliter eminere queat (per princ. path.) & si hoc fit, acrimonia dicitur alcalica.

§. IV.

Si igitur huncce statum massæ sanguineæ præternaturalem in naturalem iterum mutare velimus, necesse est, ut salia alcalica removeantur, his enim remotis, removeantur effectus.

§. V.

Removeri possunt salia alcalica si mutantur, vel ratione naturæ, vel ratione actionis.

§. VI.

Ratione naturæ mutantur, si ex salibus alcalicis fiant salia media.

§. VII.

Ratione actionis mutantur, si quidem salia alcalica manent, sed non magis valeant tam valde agere, ac antea.

§. VIII.

Remedia igitur in subsidium vocare debemus, si salia alcalica vel ratione naturæ, vel ratione actionis, mutari debeant.

§. IX.

§. IX.

Talia vero medicamenta, quæ salia alcalica mutant, ratione naturæ sunt præcipue salia acida. Experientia enim chymica ostendit, quod si sal acidum cum sale alcalico miscetur, novum oriatur, medium scilicet sal. Accipiat enim sal tartari & affundatur acetum, fit novum sal, scilicet terra foliata tartari, *a*) jam sal medium alias habet qualitates, quas vel sal acidum vel sal alcali habet, ergo & aliam habere debeat naturam,

§. X.

Ea vero medicamenta, quæ salia alcalica mutare queunt ratione actionis, sunt medicamenta absorbentia, (per princip. methodi medendi.) Et de his, hæc in Disquisitione, paulo prolixius agere volo. Supremum vero Numen imploro, ut meus hic labor cedat in sui Nominis Gloriam, proximique salutem.

§. XI.

Absorbentia vero talia audiunt medicamenta, quæ efficiunt, ut salia alcalica cessent agere, tanquam salia alcalica acria, sive quæ impediunt salium alcalicorum actionem.

§. XII.

a) Vid. JÜNGKEN Corpus Pharmaceutico-Chymico-Medicum Sect. III, Cap. XVIII, de Magisteriis, pag. 81.

§. XII.

Qualia vero medicamenta ad Classẽm absorbentium pertinent & qualia principia habeant constituenta, ex Materia medica, ut jam cognitum, hic suppono.

§. XIII.

Salia nunc triplici ex fundamento agunt, (per princ. Chym.) ex subtilitate, gravitate specifica & concentratione. Si ergo absorbentia tres has qualitates salium mutare possint, in Febribus continuis acutis, ubi abundantiam salium, præcipue alcalicorum invenimus, optima erunt remedia,

§. XIV.

Omne specificè levius cohæret cum alio graviori, si istud hoc contingat, (per princ. Physic.) Salia vero alcalica corporibus terreis sunt specificè leviora, (per princ. Chym.) ut etiam salia alcalica cohæreant terreis, necesse est, si sese contingant. Experientia hoc quoque affirmat. Spiritus enim & liquores alcalici ex adhæsione penetrant in pulveres medicamentorum terreorum. Si ergo absorbentibus utamur, salia alcalica fiunt majora, quia nunc cum particulis terreis sunt conjuncta, subtilitatem hinc amittunt, hæc vero est præcipuum activitatis majoris fundamentum.

§. XV.

§. XV.

Per absorbentia salia alcalica gravitatem amittunt specificam. Partes enim sulphureæ pingues, quæ cum terreis sunt combinatæ, quales invenimus in terra sigillata alba & rubra, bolo armena, obducunt salia alcalica in superficie, aliam gravitatem acquirunt specificam, hinc fundamentum activitatis majoris destruunt, ergo salia alcalica mutantur ratione actionis.

§. XVI.

Per absorbentia salia alcalica amittunt quoque concentrationem. Concentratio vero audit, si multa salia in minori spatio sint præsentia. Medicamentis vero terreis adhærent salia, (per exp. Chym.) ergo numerus eorum imminuitur, salia reliqua alcalica in majus distribuuntur spatium, hinc concentratio perit.

§. XVII.

Cum ergo breviter viderimus, medicamenta absorbentia tria hæc requisita habere, sequitur, ut maxima cum utilitate in febribus continuis acutis, ubi salia alcalica eminent, adhibere possimus *b)* etsi hodie a plerisque falsâ ex opinione, sæpiusque sine

b) Plura de utilitate absorbentium in febribus continuis acutis, videntur in Dissertatione Johannis Pauli Bruch §. V. sub Præsidio Dn. D. Mich. Alberti MDCCXXII. Halæ Magdeburgicæ.

sine ratione sufficiente, aut rarè his in febris adhibentur, aut plane tanquam inertia rejiciuntur.

§. XVIII.

Boerhave nempe & ejus affectæ multa proferunt, quibus virtutem medicamentorum absorbentium infringere volunt, sed omnes illorum objectiones facile sunt removendæ. Ex his aliquot tantum, illustrationis causa, allegabo. Dicunt nempe I) Medicamenta absorbentia non posse solvi à nostris humoribus. II) Non intrare posse vasa lactea. III) Multo minus ad Massam Sanguineam. IV) Dosis, sub qua medicamenta absorbentia una vice propinari solent, esse exiguam, ad talem acrimoniam mutandam.

§. XIX.

Ast omnia hæc dubia, si paulo accuratius consideremus, nullius sunt momenti. Primum quod attinet, Boerhave & qui eum imitantur, se ad sequens provocant phaenomenon. Si verbi gratia dosim quandam pulveris absorbentis, in quo aliquid cinnabaris esse mixtum, subjecto cuidam porrigamus, statim videbimus, cinnabarim iterum sine mutatione per alvum evacuari, ergo hoc esse indicium, à nostris menstruis non posse solvi? Sed nondum est probatum, cinnabarim semper cum fecibus

fecibus iterum abire, cum experientia quotidiana sæpe jam con-
 trarium demonstraverit, ergo hoc non est casus universalis, &
 si quoque fiat, ut interdum cinnabaris apud hocce vel illud sub-
 jectum cum fecibus iterum evacuetur, non statim ita est concluden-
 dum, ac quasi menstrua nostro in corpore illum solvere non
 potuerint. sed tunc hoc multo magis nobis indicat, in primis
 viis illius subjecti stabiliverit viscidum, quod absorptionem
 impediverit decentem. Sed ponamus quoque, secundum illo-
 rum sententiam, a nostris menstruis non posse solvi, in primis
 viis tamen magnam producere valet mutationem. Habet enim
 requisitum medicamenti absorbentis, quia est corpus specificè
 gravius, c) dat ergo salibus multa puncta contactus, ergo salia
 ei adhærere debent. In cavo nunc Ventriculi & Intestinis
 continuo affluit lymphæ, si ergo status alcalicus Massæ Sangui-
 neæ adsit, hæc quoque multa salia alcalica possidere debet,
 uti enim Massa Sanguinea, ita etiam ejus secreta, multa hinc
 salia in se recipere potest, simulque efficere, ut sensim lymphæ
 magis emendata in Massam redeat Sanguineam. Universaliter
 quoque non possumus contendere, medicamenta absorbentia a
 nostris menstruis plane non posse solvi. Non omnia enim,
 quæ ut absorbentia salutantur, ex meris partibus constant ter-
 reis, sed etiam aliquot illorum tales continent partes, quæ
 omnino possunt solvi & sic dein in Massam venire Sanguineam,
 uti verbi gratia videre liceat in terris, ut terra Lemnia, sigillata,
 quæ præter partes terrestres, etiam partes sulphureas pingues,
 * * 2 quas

c) Constat enim ex sulphure & mercurio vivo cum terrestri mate-
 ria, instar lapidis compacti, vid. Hermanni Cynof. Mater. Medic.
 Tom. I. Part. III. pag. 86.

quas tactu jam percipimus & simul acidum habent minerale, præcipue vitriolicum, *d)* Item in coralliis rubris *e)*

§. XX.

Secundum & tertium dubium facile quoque removeretur, si tantum consideremus, quod medicamenta absorbentia non in substantia demus, sed illa pulverisemus & dividamus iterum in multas alias particulas minimas, tali modo ergo magis fiunt subtilia, quod dein omnino possibile sit, ut partes, pulverificatione subtiles factæ, vasis possint adhærere lacteis & in Massam Sanguineam penetrare. Sed posito quoque, hoc non fieri posse, sola absorptio in cavo Ventriculi & intestini duodeni facta sufficit, quia per hanc, menstrua continuo hic affluentia, corriguntur, & quia pulverificatione medicamentorum absorbentium superficies insigniter crescit, eo magis salia illis adhærent, hinc successive a particulis alcalicis acribus depurantur, lympha, magis blanda in Massam redit Sanguineam, quæ dein reliquam acrimoniam magis diluere & corrigere valet, quod à lympha, antea saturata, fieri non potuerit.

§. XXI.

d) Vid. Hermannii Cynosura Materiarum Medicarum Tom. I, Part. III. pag. 129 - 136. Item D. Christ. Joh. Langii Opera Medica Theoretico-Practica, præsertim Lectiones de Materia Medica. pag. 279-281. 289-292.

e) Goffroy de Materia Medica Tom. II. pag. 253. Item Ettmülleri Opera Pharmaceutico-Chymica Cap. VI. pag. 14.

§. XXI.

Quartum denique dubium nullius est valoris. Minor enim dosis citius à nostris liquoribus dilui potest, unde salia alcalica acra melius ad contactum cum absorbentibus perveniunt. Cum quantitate enim fluidi vitiosi, dosis medicamenti, minime est comparanda, sed cum partium quantitate, quæ, tanquam excedentes, fluidum reddiderunt vitiosum. Ab unica quoque dosi effectum desideratum Medicus nunquam expectat, sed quotidie plures proponit doses, & simul diluentia, obtundentia, temperantia, aliæque, pro varietate circumstantiarum, jungit absorbentibus. Imo Medicus rationalis contentus est, si modo in tantum qualitates humorum vitiosas, per medicamenta absorbentia corrigere queat, ut reliquæ partes noxiæ lethalem statum corpori non magis inducere possint, reliquasque mutationes vitiosæ à durante adhuc circulo humorum expectat, quatenus ope illius noxiæ partes cum aliis combinantur, & per se- & excretionem abundantes evacuantur. Hoc enim in febrium continuarum acutarum curatione præcipue valet.

§. XXII.

Absorptis ergo salibus alcalicis vel sulphureo-salinis particulis, per medicamenta absorbentia, cessare debent fusiones. Fusio vero audit, si gradus cohesionis, partium Massam Sanguineam constituentium, sit justo minor. (per princ. pathol.) In febribus vero continuis acutis salia

** 3

alca-

alcalica eminent, quæ partes resolvunt sulphureas, hæ vero sunt principium omnis cohæſionis, (per princ. Chym.) ergo gradus cohæſionis, partium Maſſam Sanguineam conſtituentium, non poteſt eſſe tantus ac in ſtatu ſano, ergo oriri debet fuſio. Hinc abſorbentia magno cum fruëtu adhibentur, ſi in febris continuis acutis ſudores colliquativi venire velint, qui fuſionem humorum, ab alcali productam, indicant, (per princ. pathol.) item in Diarrhœa colliquativa, Dyſenteria. Praxis hinc docet medica, quod terræ pingues bolares, ut terra Lemnia, figillata, alba & rubra, bolus armena, tali in caſu inter pulveres abſorbentes magnam præbeant utilitatem. Triplici enim modo agunt. His terris adhærent ſalia alcalica, quia hæ terræ ſalibus alcalicis multa præbent puncta contractus, deperdunt ergo ſubtilitatem, per conſequens fundamentum activitatis perit. In his terris ſimul acidum minerale, præcipue vitriolicum, ineſt, hoc deſtruit ſal alcali, putredinique ſimul reſiſtit, ergo fuſio immiunitur. Præterea hæ terræ bolares habent quoque partes sulphureas pingues, hæ obducunt ſalia alcalica in ſuperficie, aliam ergo gravitatem acquirunt ſpecificam, ſalia alcalica mutantur ratione activitatis, ergo fundamentum activitatis deſtruunt.

§. XXIII.

Acres ſi fuerint humores à ſalibus alcalicis commixtis, abſorptis ſalibus alcalicis, ceſſabit acrimonia alcalica, ergo & omnes effectus ab acrimonia alcalica orti, ſpaſmi nempe, vigiliæ, capitis dolores, inquietudines ex irritatione ortæ. Si ergo
medi-

medicamentis utamur absorventibus, salia absorbentur alcalica, acrimonia sic magis imminuitur, ergo omnes quoque hi effectus cessare debent.

§. XXIV.

Ab usu medicamentorum absorventium in febribus continuis acutis, plures quidem effectus salutare adhuc enarrare potuissem, sed sufficiat, ut paucis demonstraverim, medicamenta absorventia, in febribus continuis acutis, optima esse remedia, illisque magnam virtutem, ob id tantum, quia absorbent salia alcalica, tribuendam esse.

TANTUM.



01 A 6543

ULB Halle
002 931 672


3




Sb.

VO 18 km 12







GEORGII JACOBI GLADBACH
CINAE DOCTORIS ET PRACTICI ORDINARIII
FRANCOFURTENSIS

DISQUISITIO

DE
MEDICAMENTORUM ABSORBENTIIUM
IN
FEBRIBUS CONTINUIS ACUTIS
PRÆSTANTIA.



FRANCOFURTI AD MOENUM.
OFFICINA MOELLERIANA.
1761.

